



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De pagano apud Babylonem baptizato, & sanato, cap. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

flagellamur. CÆSARIVS: Hoc pleniū notare poteris in diluvio Frisiæ, in quo amplius quam centum milia hominum simul extincta sunt, ac deinde anno tertio circa quadraginta milia. Tempus & causam eiusdem plagæ satis expressi in distinctione septima, capite tertio. APOLLONIVS: Videntur mihi diluvia hæc particularia celerem iudicis aduentum prænuntiare. CÆSARIVS: Verum est, quia eodem tempore impletum pro parte est, quod ipse præmisit, dicens: Erit in terris pressura gentium præ confusione, sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore. Nam sicut mihi fetulit Abbas sancti Bernardi, timor tantus erat in Frisia, ut singuli singulis momentis mortem suam expectarent, & quasi arescerent præ expectatione. In qua tanta facta est pressura populorum, ut multi Frisonum prouincias peterent alienas. APOLLONIVS: Ego ista tunc temporis intellexi. CÆSARIVS: Ex quo loqui cœpi de aquis, ostendere tibi volo, quæta Deus miracula, etiam nostris temporibus operatus est in illis.

## CAPVT XLII.

**G**odefridus magister nouitorum nostrorum, anno *In Aquâ* conuersionem parœciam quandam regebat: *& primò* hic cum die quadâ puerum baptizaret, de cuius *de Baptâ* latere pendebat caro miri horroris, mox ut infantem *smi virâ* in nomine sancte Trinitatis tribus vicibus immersum *tute &* extraxit, monstrorum illud apostema nusquam cōpatur: *circa cor-* ruit: quo viso, hi qui aderant glorificauerunt Deum, *ba-* poris *sa-* ptismi vittutem vbiique prædicantes.

## CAPVT XLIII.

**Q**vando peccatis nostris exigētibus, in obsidione Damatiæ Christianus exercitus ex parte datum est in manus Saracenorum, Episcopus Beluacensis ductus est in Babylonem captiuus, & cum eo multi: cumque satis humanè à Soldano tractarentur, femina quædam pagana, ciuis Babylonica, filium sic habebat infirmum, ut nulla spes vitæ esset in illo. Nocte quadam ostensum est ei in somnis, ut si prædictus Episcopus illum baptizaret, mox omnem corporis

R 1 2 flospi-

sospitatem recuperaret. Illa sollicita de filio, mane cū familia ac parentibus ad Episcopum venit, quid visiderit exposuit, baptizari illum humiliter perivit, & obtinuit; sicut retulit Henricus miles de Vlmen, qui præsens erat. Baptisterium pagani circumsteterunt, & riserunt, quorum risus versus est in admirationem: nam adolescens, qui desperatus intravit, baptizatus sanissimus exiuit. Spero q̄ hodie in fide CHRISTI perseveret, & forte alij eius exemplo crediderunt. Sed quid baptismi virtutem in aliis commendo, cū illam mirabiliter satis expertus sim in memetipso?

## C A P V T XLIII.

**C**VM adhuc scholaris parvulus tempore quodā laborarem in acutis, & semel ac secundō post crism' recidiuassem, contigit ut puella quēdam pagana, quam mater tera mea pecunia cōparauerat, baptizaretur: habebat enim circa decem annos ætatis. Suasum est matri meæ, ut eodem linteamine, quo illa de baptismō exierat, adhuc madido me inuolueret, & sciret gratiā sanitatis celerius secuturā. Quod cū factum fuisset, attractu illius aquæ sacratissimæ mox in sudorem erupi, & conualui. Licet enim baptisimus medicina sit animæ, multi tamen virtute illius sanitatem corporum consecuti sunt, sicut legitur de TRANQUILLINO & CHROMATIO urbis præfecto. APOLLONIVS: Velle aliquod audire miraculū in aquis simplicibus factum, quibus nec consecratio, nec sacri chrismatis infusio, tribuit virtutem. CÆSARIUS: Prior tibi adhuc vnum referā de baptismō, cuius virtutem amplius etiam in re aduersa cognosces.

## C A P V T XLV.

**T**Empore quodam, quidam scholares sacerdotū morem imitantes, in quodam flumine canem sub inuocatione trini nominis baptizauerunt: canis verò virtutem tanti nominis sustinere non valens, mox illis videntibus versus est in rabiem: pueris verò, eo quod genus illud insanissimum sit, pepercit, sciens non malitia, sed ex stultitia sacramento factam iniuriam. De aquis verò simplicibus, habes exemplum

sup-

In actis  
S. Seba.  
ftiani.